



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

44 Ioathan Oziæ Filius. Legatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Habes griphi sententiam,  
Viator abi.

JOATHAN  
OZIAE FILIUS.  
LEGATIO.

Adesto Fama.

Ad Principes te delego,

Unico exemplo magna consilia transacturam.

Joathani Regis virtutes Regibus refer,

Ut emerito Patri succedens puer,

Fesso Athlanti Alcides integer,

Ægro Parentis capiti supposuit suum,

Felix Genitor, qui vitâ peractâ vivens,

Successoris virtutes non speravit, sed spectavit.

Felix puer, qui paternæ frontis adspectu, frontem remisit,

Et humilitatis magistrum habuit tumorem.

Et quis credat? unum caput alterius morbo sanatum.

Addetur Isaïæ, Zachariæ, Oseæ, Amosi,

Nobilibus spectris admonitus,

Rectum iter institerit,

„ Nam veritas privatæ fortunæ bonum.

„ Ad Principes non illabitur, nisi è Cælo:

Non immeritò Jovis Filia,

Prædica, ut Numine usus propitio,

Syriæ & Israelis conjuratos Reges cohibuit:

Ammonitas semper cæduos feliciter cecidit:

Numquam non lædente ferro, numquam læsus.

O militiam innocentem!

Ubi ad meliores partes applicante victoria,

Nemini nocebant arma, nisi nocenti:

Et rector rectorius collimabat.

Post militare, civile studium exaggera.

Ut sanctæ Urbis intuta muniit, diruta erexit:

Nec molles fundavit moles, sed sibi similes.

Ut Dominus ex Domo, Domus ex Domino agnosceretur,

Turrim Ophel evexit supra nubes,

Regiæ mentis Idæam semper serenhæ.

Portam



Portam Templi speciosam,  
 Aëris & auri ornatu, nomine dignam fecit.  
 Speciosam ne magis, an spatiosam?  
 Sanè totam Petri charitatem triumphali fornice excepit;  
 Quam recto vestigio claudus sequutus,  
 Ne torto pede speciosum limes deformaret.  
 Narra ut hoc Principe,  
 Vomuit vetustas multo solidiora quæ exederat.  
 Ut collapsa nemo dixerit ædificia,  
 Sed sponte inclinata, ut altiùs gliscerent.  
 Celebra denique magnificentiam,  
 Quâ urbes Civibus, agræstibus mapalia condidit.  
 Illas præsidio, hæc subsidio,  
 „ Nam mutuis gladii, & ligonis officiis,  
 „ Tuerur qui alitur, alitur qui tuerur.  
 „ Et arces pereunt post casas.  
 Post hæc elogia altum ingemisce,  
 Quod hostibus ferox, suis blandior,  
 Objurgandæ superstitioni linguam non habuit.  
 Itaque gloriosius  
 Delubra solo, quam ædificia Cælo, æquasset.  
 Ut mirum non sit,  
 Adulari populos Regibus, cum Reges populis adulentur.  
 Adde igitur Principibus animos;  
 Ut à divinis exorsi, degeneres increpent:  
 Joathani ejurato exemplo.  
 Qui fortia facilius fecit, quam dixit.

ACHAS  
 JOATHANI FILIUS.  
 HISTORIA.

Amicitias beneficiis parari qui putat,  
 Historiam hanc legat.  
 Achas ad Judæ solium divinitus erectus,  
 Omnem lapidem movit quo Deum perderet,  
 Nam inter saxeos Dæmonas diviso cultu,  
 Nullum ut faceret Deum, multiplicem fecit,  
 Parum fuit Deum obruisse lapidibus.

Eundem